

**IV MARTII.  
DE S. CASIMIRO POLONIÆ REGIS FILIO,  
IN REGEM HVNGARIÆ ELECTO  
VITA S. CASIMIRI**

**Auctore Zacharia Ferrerio Ep. Gardiensi,  
Nuntio Apostolico.**

**CAPVT I.**

**S. Casimiri genus, fratres, studium litterarum.**

**[1] In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij,  
& Spiritus sancti, Amen.**

**Zacharias, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Gardiensis, sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Leonis Diuina Prouidentia Papæ decimi, Prælati domesticus, & Referendarius, ac per vniuersum Regnum Poloniæ, & magnum Ducatum Lituaniæ, & Moscouiæ, omnesque & singulas terram eisdem regno & Ducatibus, mediate vel immediate, aut alias quomodolibet subiectas, cum omnimoda Legati de latere & Maioris pœnitentiarij de vrbe potestate, Nuntius & Orator, atque ad infra scripta commissarius specialis, vniuersis & singulis, Christianæ religionis Professoribus salutem & æternam felicitatem.**

**Immensa & incomprehensibilis Dei sapientia, habitans in consilio & eruditis præsidens cogitationibus, cuius est æquitas, cuius & prudentia ac fortitudo; per quam Reges regnant, Principes imperant, & legum conditores iusta decernunt, [Semper Sanctis illustratur Ecclesia,] sic sua inerrabili prouidentia omnia temperat,**

omnia moderatur, vt nulli ætati, nulli nationi, nulli ordini opportuna ope ac largitate vlllo vsquam tempore desit: quasi trames aquæ immensæ, & quasi fluuius Dioryx, rigans hortum plantationum, & penetrans omnes inferiores partes terræ. [Eccli. 24. 40] Ipsa est, quæ priori seculo ante legem scriptam, Patriarchas; post legem & ante gratiam, Prophetas; post vero gratiam, nascenti Ecclesiæ Apostolos & Euangelistas; adolescenti Martyres; crescenti in fortiorem ætatem Pontifices, Doctores & interpretes sanctissimos; in fines autem seculorum declinanti, vt plurimum Confessores, viros insignes, qui variis in locis, & mundi regionibus, ad bene beateque viuendum perpetuamque felicitatem capessendam, quasi Tutelares patroni humano generi opitularentur; sua indeficienti bonitate prouidit.

Quum enim Lituania, seu potius Litaliana, Sarmatiæ ampla & nobilis apud Bastarnas prouincia; [S. Casimiri avus Iagello,] quam ex Italis quondam plurimi, in Magni Pompeij partes declinantes, longe antea coloniis, & nomine illustrarunt: sub Urbano VI Pontifice Maximo, & Vladislao Iagellone Litanorum seu Litalianorum, Magno Duce anno salutis millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, Christi fidem suscepisset, eodemque Vladislao sacro fonte baptizato, ac in Sarmatium siue Poloniæ Regem coronato; Vitoldus, alias Alexander, & deinde Sigismundus, eius germani, titulum Christianitatis adepti, Litanis successiue imperarent; omnipotens Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, quo novella hæc veræ religionis plantatio, eo altius cresceret, & tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum, uberiolem fructum afferret in tempore suo, cælestis illam gratiæ imbre, in seruo suo Casimiro, ex Regibus Poloniæ & Ducibus Litanicæ spectabili, visitare & perfundere dignatus est. Nam Vladislaus ipse Iagello, ex Sophia tertia vxore, duos genuit filios, Vladeslaum & Casimirum, ipsius Casimiri patrem. [avia, pater, patruus,] Vladislaus

**Hungaria & Poloniæ regnis potitus est. Casimirus autem post Vladislai fratris sui obitum, ad Poloniæ regnum sublimatus, tamquam Casa mira, seu mirabilis, iuxta sui nominis Latinam etymologiam, [mater,] de Helisabet Alberti ex Austriæ Duce Hungariæ & Boëmiæ, demumque Romanorum Regis filia, coniuge sua, veluti ex arbore optima optimos fructus procreavit; Vladislaum Boëmiæ & deinde Hungariæ; [quinque fratres:] Casimirum, de quo agimus; Ioannem Albertum, Alexandrum, & Sigismundum Poloniæ Reges; nec non Federicum, S. Luciæ in septem soliis S. R. E. Diaconum Cardinalem, postea Gnesnensem Archipræsulem; liberos sex, Christiana pietate conspicuos; sicuti calamos aureos sex (si dicere fas est) ex tabernaculi Domini, Catholicam Ecclesiam præsignantis, aureo illo candelabro prodeuntes.**

**[ipse terrena contemnit,] Verum Casimirus, secundus inter eos, ac si inter gemmas speciosissimas carbunculus, quidam, divino amore afflatus, civitatem hic permanentem se non habere conspicatus, futuram quæsivit, non manu factam in cælo, thesaurizansque sibi thesauros, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur; furesque non effodiunt, aut auferunt; labentis huius seculi gloriam contempsit, atque post aurum non abiens, nec sperans in pecuniæ thesauris, quum inter diuites diues, ac potentes principes, & ipse Princeps transgredi potuerit; non est tamen transgressus, nec mala gessit. Quum igitur adhuc puer, præclaris moribus, bonisque litteris erudiendus optimis præceptoribus a parentibus traditus, [litteris & bonis moribus recte imbutus] in tenera illa ætate tantum profecisset, vt non mediocri omnibus esset admirationi; pueritiam ipsam, & adolescentiam virtutibus omnibus, ingenuarumque artium disciplinis ita exegit, vt semper & ætate & sapientia cresceret, ac spiritus Domini esset in illo. [ac timore Dei] Inerat ei timor Domini tantus, veræ sapientiæ initium, vt minimum etiam reatum, flagitium**

maximum; nec tantum declinare a malo, sed & facere bonum, necessarium fore arbitraretur.

## CAPVT II.

**S. Casimiri mortificatio, pietas, abstinentia, Fidei zelus, Spes, caritas erga Deum & homines.**

Porro dum eum adolescentiæ florem, quo potissimum illud hominum genus voluptati indulgere consuevit, attigisset; tanto sensus omnes, [Castitatem sedulo curat:] animumque ac corpus ipsum continentiae fræno ab omni labe compescuit; vt non modo adolescentibus, sed & grauioribus viris, totius munditiæ & castitatis speculum haberetur. Quamquam in domibus Regum esset, mollibus tamen non vestiebatur: sed secretiori super carnem cilicio nonnumquam vtens, lectique mollitiem, [cilicio induitur:] tamquam peccandi fomentum, quantum cautius poterat, furtim effugiens, super nudam humum sæpenumero quiescebat: & licet innocens & omnis paene peccati expers esset, tanto tamen compunctionis ardore, [humi cubat:] & in Saluatoris nostri Iesu Christi pro humani generis salute, susceptam serui formam, agonemque, ac mortem, assidua compassionis meditatione afficiebatur; vt lauaret per singulas noctes lectum suum & lacrymis suis statum suum rigaret. [Christi Passionem meditatur:] Incredibili etiam erga Dei genitricem deuotione flagrabat: quam pius adolescens facta a se a heptametris egregia oratione (quam vidimus, [D. Virg. pie colit.] & omnia paene Dominica Incarnationis mysteria pulchro schemate claudentem) quotidie salutabat, assiduisque laudabat præconiis.

Quid referam, quanta sedulitate diuinis orationibus, diuinisque laudibus, [sedulo sacra frequentat,] & cærimoniis Ecclesiasticis intentus erat: cuius vita magis in

**ecclesia, quam in aula Regia semper acta est? Consueuerat sane silentis noctis medio, sancta frequenter loca & sacras ædes, nullo sæpius comitatus homine, clam visere: & quarum nocturno tempore (vt fieri solet) ianuæ non patebant, [etiam noctu ad fores templorum diu orat:] limina saltem venerabatur, osculabatur valuas: apud quas vigiles ciuitatis, & excubantes nocturni exploratores, eum diutius orantem sæpenumero offenderunt. Mane diei templa quotidie ingrediens, Diuinis sacrificiis omnibus, quousque occluderentur fani ianuæ, ita sedulus, ita deuotus, & supra seipsum mirum in modum eleuatus, ac mente in Deum erectus, intererat; vt quasi suiipsius oblitus, & in Diuinum amorem penitus raptus esse videretur. [cibi oblitus & potus.] Præteribat frequentissime sumendi cibi, & reficiendi corporis hora; quum parentum repetitis nuntiis ac mandatis, ad prandium e templo vix adduceretur. Cibi potusque parcissimus, ieiuniisque & abstinentiæ assidue vacans, Apostolicum illud sibi proposuerat: Quoniam regnum Dei non est esca & potus. [Rom. 14. 17]**

**In sermone rarus, mitis & modestus; nihil aliud quam Deum, [moderatus in verbis:] quam Diuina præcepta, quam virtutes egregias, quam salutaria monita & documenta eloquebatur. Quis vnquam eum detrahentem secreto proximo suo, aut otiosum seu vanum proferentem verbum audiuit? Peccantes amice corripiebat, emendatos mira complectebatur humanitate. [seuerus in contumaces:] Inexorabiles autem & obstinati animi homines acri seueritate obiurgabat: quorum plures cum ex sua clientela domoque eliminari præcepit, tum ex Regia aula pelli, summam operam effecit.**

**Religio erga Deum, erga Christum fides, erga Sanctam Romanam Ecclesiam, orbis Magistram, veneratio tanta in eo fuit; vt Ruthenos, qui variis erroribus impliciti, facto in nostri Redemptoris inconsutilem tunicam**

schismate, sanctæ Apostolicæ Sedi minime parent, [Schismatici ne fana restaurent, impetrat a Rege:] & quorum per Litalianiam ipsam maximus est numerus, eo sancto insectaretur odio; vt Regi Poloniæ parenti suo eorum antiqua fana seu vetustate corruentes ecclesias, ad quas superstitiosi conueniunt, quum Catholicæ aduersentur vnitati, instaurari publico edicto prohiberetur, modo opportune modo importune persuaderet: quod & aliquando sua solertia impetrauit. Spes in eo futurorum bonorum ac æternæ felicitatis perpetua: quare existimabat non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. [voluptates abdicat.] Quamobrem voluptatibus corporeis a se prorsus abdicatis, castigabat cum Apostolo corpus suum, & in seruitutem redigebat; [ne insurgeret aliquando caro contra spiritum. [1 Cor. 9. 27]

[9] Caritas autem paene incredibilis, non ficta quidem, sed sincera; qua erga omnipotentem Deum, illo Spiritu diuino feruebat, tam diffusa erat in corde eius, tam exundabat, ex intimoque pectore ita exterius effluebat in proximum; vt nihil ipsi iucundius, nihil optatius esset, quam non solum propria erogare, verum & seipsum totum Christi pauperibus, peregrinisque, valetudinariis, [mirifice subuenit afflictis;] captiuis & afflictis hominibus dedere & elargiri. Viduis, pupillis, oppressis, non modo tutor, non modo curator, sed & pater filiusque ac frater erat. Hic profecto longam texere historiam opus esset, si singula dilectionis & amoris summi opera, quæ in eo erga Deum & homines vigere, essent recensenda. Hæc succincta narratione & breuiori compendio percurrimus, quæ ab insignibus & fide omni dignis hominibus, qui cum eo diuturnam assiduamque habuere conversationem, longa oratione percepimus: quorum pars magna circa eius a nobis collecta miracula facile perspici potest. Sicuti vero caritas est vinculum perfectionis, finisque præcepti Divini; ex qua & leges pendent & prophetæ; sic Casimirus Regius

& sanctus adolescens, quum præclaras virtutes omnes, sicuti Christi bonus odor, redoleret; caritatem tamen, veluti omnium odoramentorum thecam, mirabili quadam suavitate vndique spirabat, vndique exhalabat. Eam vti virtutum ceterarum principem Reginamque præstantissimam, quam vnice adamaret, [Dei in nos caritatem recogitans:] sibi delegerat: quæ Dei filium pro humani generis salute de summo cælo descendere, seipsum exinanire, carnem nostram sumere, & mortem subire sola efficere potuit. Sic enim Deum dilexisse mundum, vt Filium vnigenitum pro mundo daret, die noctuque ardentissimo cogitabat affectu.

### CAPVT III.

**S. Casimiri studium Iustitiæ, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Virginitas sanitati & vitæ præhabita: sancta mors.**

[10] Quantum autem iustitiam coluerit, quantum amplexatus temperantiam fuerit; quanta prudentia præditus, quantaue animi fortitudine atque constantia fulciebatur, in ea potissimum ætate liberiori, [Iustitiam patri inculcat:] qua præcipites & in malum suapte natura homines proni esse consuere, vix dici, vix excogitari potest.

Iustitiam in regno & subiectis populis gubernandis Patri quotidie suadebat. Et si quandoque per incuriam (vti euenire assolet) aut humanam imbecillitatem, aliquid in regimine negligebatur, Regem modeste arguere nequaquam omisit. Inopum & miserabilium hominum caussas, æque ac suas tuebatur, amplectebatur: propter quod pauperum defensor a populo nuncupabatur. Nec etsi Regis filius, & sanguinis magnitudine sublimis esset, [audit Defensor pauperum.] cuiquam se quantumvis humili & infimo homini, tam conuersando, quam loquendo

difficilem exhibebat. Sed animo volvens, Deum qui in altis habitat, [erga humiles facilis,] humilia respicere in cælo & in terra, suscitareque de terra inopem, & de limo erigere pauperem; inter mites, & pauperes spiritu, quorum est regnum cælorum, potius quam inter claros & potentes huius seculi, haberi semper voluit. Nam quamquam perspicacissimi iudicij ac prudentissimus esset, [potentiam terrenam refugit.] sententiaque sua Reipublicæ plurimum consuleret; humani tamen fastigij dominatum nec ambiuit, nec oblatum a patre vnquam accipere voluit: metuens, ne diuitiarum aculeis, quas Dominus noster Iesus Christus spinas appellauit, vulneraretur animus; aut terrenarum rerum contagio coinquinaretur.

[11] Temperantiam in omnibus exercuit, qua nec nimis lætabatur prosperis, nec nimis tristabatur aduersis. De constantia autem & fortitudine animi sui, omissis plurimis, id tantum recensebo, quod maiora ex se profert experimenta virtutis. Plures enim pervicit carnis pugna, prostrarunt incentiua libidinis; quos supplicia corporis & tormenta atrocia frangere aut flectere nequiuere. Casimirum autem præclarum adolescentem, [Virginitatem semper custodiuit,] cuius animo adeo erat desponsata virginitas, vt carnales nuptiæ, siue a parentibus siue ab amicis, ei nusquam persuaderi potuerint; nec caro, nec sanguis, nec blanditiæ, nec titillationes vllæ venereæ inficere, aut ab arrepto pudicitiae instituto dimouere aliquando valere. Virginem enim ad finem vsque vixisse, virginemque postremum diem claussisse omnes & a cubiculo, & a secretis eius, viri maximi & optimi, quorum adhuc nonnulli supersunt; quibusue intus & in cute agnita illius conuersatio fuerat, asseuerant & attestantur.

[12] Quod quum ex pluribus evidentibus argumentis satis superque liqueat, ex eo potissimum, quod potius mori elegit, quam fœdari, manifestissime compertum habemus.



[& mori maluit, quam eam violare;] Quum enim medio florentissimæ iuuentutis in morbum quemdam chronicum incidisset; cui medela alia nulla occurri posse, quam puellari concubitu medici iudicabant; illiusque parentes necessarijque plurimi, vt virginem speciosissimam, quam e multis delegerant, vna in lecto cubare, & pro seruanda vita in amplexus & copulam ire permetteret, enixissime suaderent, rogarent, efflagitarent; ille sapientissime (vt semper solebat) respondit, se temporalem hanc & momentaneam vitam malle amittere, quam æterna & immarcescibili in cælo carere: obiurgabatque eos omnes quod rem sibi suggerere illicitam non erubescerent. Quumque adhuc, vt floridæ iuuentuti vitæque ac saluti consuleret, [hoc suadentibus quid responderit?] magis ac magis adhortarentur, & importunis etiam precibus obtestarentur domestici; respondit ille, salutem vitamque aliam se nescire, quam Christum Dominum: cum quo vt esset, cupiebat dissolui, & ad quem iam se ex ea voluntate breui profecturum esse perspiciebat: quod & ita factum est.

[13] Nam ingravescente morbo, quum naturali robore destitui cœpisset, Ecclesiasticis Sacramentis, veluti spiritualibus quibusdam contra aëreas potestates & tenebrarum harum rectores, munitus armis, inter assiduas orationes a & sancta colloquia, adstantibus Sacerdotibus & viris religiosis, [Sacramentis munitus pie moritur] animam illam candidissimam & Christo amabilem (vt prædixerat) perendie carnis vinculo solutam, omnipotenti Deo reddidit. Obijt autem apud Velliam, siue Vilnam Lituaniæ, seu Litalianicæ, primariam ciuitatem, in Grodno oppido, [4 Martij 1484 in oppido Grodno,] anno ab Virgineo & salutifero partu millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, die quarta Martij, illucescente aurora; annoque ultimo Xysti Quarti Pontificis Maximi. Vixit annos viginti tres, menses sex: sepultusque est, collacrymantibus cunctis, apud arcem vbi sedes Pontificia

**Vilnēsis sita est, [sepelitur Vilnæ.] in Diui Stanislai Martyris ac Pontificis æde, sub sacello almæ Genitricis Dei Mariæ, cui & mentem omnem & pudicissimum corpus addixerat.**

### **Annotata**

**Christi effigiem, ait Suiecicius, manu tenens, intentisque oculis intuens, dum solennia illa Regij Vatis sæpius iteraret verba; In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; dum in extrema illa vitæ & mortis lucta precibus lacrymas misceret, voce pariter ac vita deficiente ..... æquissimo animo obdormiuit in Domino.**

### **CAPVT IV.**

#### **S. Casimiri forma. Post mortem miracula.**

**[14] Erat autem pius adolescens & famulus Dei Casimirus, mediocris staturæ, [Quæ vivi species fuerit?] cæsariem mustellini vel sub nigri coloris habens, subnigris oculis & naso æquali ac temperati ruboris, facie eleganti, formosa & venerabili; vt qualis intrinsecus esset, ex ipsa effigie existimari posset. Aspectu profecto pulcher, sed longe pulchrior religione Diuina, utpote moribus ornatus Angelicis: cuius mentem atque regium pectus, nihil fœdi, nihil turpis, nihil obscæni vnquam tetigerat. Quod post eius obitum luculenter ostensum est.**

**[15] Nam omnipotens Auctor, vt indicaret quanta meritorum celsitudine virtutumque sublimitate, apud se Casimirus magnus extiterit, mox ex eius sepulcro tot tantaque signa ac miracula patefacere dignatus est, indiesque magis ostendit; vt hæsitare nemo debeat, quin æterna cum Christo felicitate in cælo fruatur. Hi enim, qui sine spe humani auxilij morbis incurabilibus grauissimisque valetudinibus laborant, [plurima ad eius**

tumulum fiunt miraculæ.] surdi, muti, claudi, aridi cæcique, vt primum eius mausoleo se deuouerint, auditum, loquelam, incessum, visum, pristinamque incolumitatem recuperant (quodque longe admirabilius ac paene incredibilius est) reuiuiscunt mortui, aliaque quotidie obstupescenda fiunt miracula.

[16] Inter quæ illud prioribus saeculis rarissimum, nostraque ætate inauditum superiori anno accidit. Nam quum Dux Moschorum Basilius, Ruthenorum erroribus implicitus, a maximo schismaticorum ad circiter sexaginta equitum millia comparato exercitu; ex insperato Lituaniæ fines aggressus esset, [irruente in Lituaniam 60000 Moschorum exercitu,] improvisi Polonorum & Litanorum Duces, quibus copijs hosti occurrerent, quum nullæ suppeditent; qua militari manu freti resisterent, quum longe abesset, penitus ignorabant. Caras tum coniuges, dulcia pignora, paternas ædes, oppida, prædiaque iucundissima, veluti amissa, Lituaniamque omnem tamquam depopulationi expositam, deflere cœperunt. Nulla enim se, suaque tutandi spes supererat: una vel mors, vel morte crudelior miseranda captiuitas expectabatur. Quid facerent? Quorsum se verterent, tanto metu percussi? Egit genuina magnanimaque nobilitas, qua clarissimi Duces illi præditi erant, vt, etsi non modo vinci, verum absorberi se ab hoste posse conspicerentur, hosti tamen non cederent; nec se in fugam darent; sed collectis, quos potuere, ad duo vel circiter millia ex domesticis vernaculisque & inquilinis, fortes in bello persisterent. [Lituanis rati id accidisse, ob non curatam S. Casimiri canonizationem,] Enimuero vt pij & Christo deuoti perspexerunt, quoniam Deus noster refugium & virtus adiutorque in tribulationibus, si ex corde inuocaretur, sibi in opportunitate deesse non posset; eamque calamitatem, quia Diuum Casimirum innumeris coruscantem miraculis (vt sæpius vna decreuerant) in Sanctorum catalogum ab

**Apostolica Sede referri, pollicitam operam non impenderant, eis accidisse arbitrati sunt.**

**[17] Quamobrem auxilium de alto supplices implorarunt, ad ipsiusque S. Casimiri suffragia confugientes, vno animo, vno ore, ita precati sunt. Dive Casimire, [eum inuocant, & se illam curaturos vouent:] quem tutelam præcipuam generis nostri, & huius patriæ Patronum apud omnipotentem Deum esse confidimus; respice afflictionem & mœrorem hunc nostrum: ne dominantur nobis inimici nostri immundi, schismatici, & a vero Sanctæ Matris Ecclesiæ ritu ac gremio alieni. Tu spes nostra, tu præsidium nostrum. Miserere igitur patriæ opem tuam implorantis, in qua & natus & educatus es. Miserere gentis, ex qua originem ducis, & quam tuis sanctissimis ossibus ac reliquijs nitidissimis condonasti. Neu deseras nos omni humana spe, omni solatio destitutos. Potens enim est, per quem tot tantaque quotidie mirabilia operatur Altissimus. Et si iuxta fidem obseruantiamque summam, quam erga te gerimus, votis tuorum faueris; vt pro Christianæ religionis splendore & tuæ nationis exaltatione, te in Sanctos referat Pontifex Maximus, omni studio laborabimus & iure efficiemus.**

**[18] His dictis, quidam sensibilis animi vigor, quædam mentis alacritas ita eos diuinitus cepit, vt quamquam supra sexaginta millia equestrium numerum Moschos excedere ab Scythis exploratoribus didicissent, [mox cælitus corroborati,] ex apricisque locis, quibus ijdem insederant Moschi & castrametati erant, ita esse, procul appareret & cerneretur; duoque tantum hominum millia (vt diximus) Lituani Principes vna conflare tunc potuissent: nihil tamen veriti, in hostes insilire statuerint. Deo igitur, & Diui Casimiri patrocinio fisi, animo volutantes Davidicum illud; Quia hi in curribus, & hi in equis; [cum solis 2000 in Moschos irruunt,] nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus: vno animo, & vno impetu in Moschos,**

quo vna confliherent, prorupere. [Psal. 19. 8] (Res mira!) tantus pauor, tantus denique tremor, & horror eas Moschorum numerosas & cataphractas equitum copias inuasit; vt acsi innumerabilem validissimumq; exercitum post terga irruentem formidarent, sese in fugam præcipites conuerterint. Eos vero fidei lorica armati Lituani insequuntur, trucidant, spoliant, captiuant: adimpletumque est illud Deuteronomij: Persequebatur vnus mille, & duo fugabant decem millia; quia Dominus Deus vendidit eos, & Dominus conclusit illos. At quum hoc admirandum sit, [eosque profligant,] (vtpote non casu aliquo, sed diuinitus factum) longe tamen mirabilius est, quod plurimis Moschorum a Litanorum cuneo admodum paruo, vt diximus, parta opima præda, fuis, desideratis ac in captiuitatem ductis: vix vnus ex Litanis aut captus aut interemptus est. Ostendit enim Seruator & Deus noster Christus, quod suis tironibus in Euangelio pollicitus erat, stabili veritate fulciri; [vix vno e suis desiderato:] Quod nec capillus, de eorum capite periret.

[19] Diuino igitur hoc beneficio perciti Lituaniæ Duces ac Domini, Serenissimum Poloniae Regem Sigismundum, Diuo quidem Casimiro germanum superstitem, qui & ipsorum magnus Dux est, enixe deprecati sunt, vt apud sanctam Apostolicam Sedem; [cum ipsis Sigismundus R. Casimiri frater Papam rogat, vt eum canonizet:] quod idem Casimirus sanctorum Confessorum numero absque prolixiori mora adscriberetur, intercederet, instaret. [Luc. 21, 18] Quod & dum crebris epistolis, ac insignibus oratoribus Rex ille religiosissimus a Beatissimo Leone X Pontifice Maximo impetrasset, seruantissimis Patribus Ioanni Archipræsuli Gneznensi, Poloniae Primati ac Legato nato: nec non Petro, tunc Præmisliensi, nunc vero Posnaniensi Pontifici, Regniue Poloniae Vicecancellario; postremo vero nobis in Poloniam & Prussiam ad eundem Regem mandato Apostolico ex Vrbe proficiscentibus, ad ipsius Diui Casimiri gesta ac miracula perquirenda, inter

**cætera ardua negotia, prouincia est demandata. Id vero muneris omni fideli opera & sedulitate exquisitissima ita obiimus atque exegimus; [a quo iussus hic Auctor cum alijs Epp. miracula examinare.] vt inter innumera paene miracula, quæ iureiurando adhibito illi nobis recensuere, qui & interfuerunt & conspexerunt, manibus contrectauere ac in semetipsos experti sunt; quosue nobiliores ex alijs & fide digniores, ad testimonium perhibendum delegimus, ea tantum, omissis superfluis, quæ singularia & ad eius sanctitatem probandam sufficere visa sunt, descripserimus, annotauerimus.**

**[20] Datum Vilnæ IX Kalendas Decembris, anno salutis CI OI OXX, eiusdem vero Sanctissimi Domini nostri Leonis Diuina Prouidentia Papæ X, anno octauo. Tres erant Episcopi ad latus Illustrissimi Domini Zachariæ Episcopi Legati a Latere, Ioannes Vilnensis, Ioannes Chiouiensis, Iacobus Caffensis Episcopi Latini. Examinata miracula & testes.**

### **Annotatum**

**Unica hic narratur victoria de Moschis schismaticis, ope S. Casimiri reportata: duplex a Gregorio Suiecicio infra; prior quando ab obsidione Polociæ magna clamore depulsi hostes; altera quæ hic narratur, cum ijdem Lithuaniam anno sequenti peruastantes rursus a perexigua manu profligati sunt.**